

## S Y L L A B U S.

lateritiam illam columnam periculum subituram esse, nec superaturam. Ex Josephi autem asseverato innuitur, nescivisse Patriarchas, utra destructio & exterminatio futura sit prior: quod infallibile nequaquam est. 6. Non meminit Josephus, an Adamus juxta communicatum de exterminatione vaticinium etiam de columnis adjecerit monitum: quod si est, præposterè Adami monitum expresserunt: credibile enim non est, ex eodem prophetico spiritu, ex quo vaticinium hausit, moniturum fuisse, de ejusmodi columnis geminis extruendis: si vero ex sapientia quadam privata consilium de columnis construendis captaverunt, viderentur voluisse divinæ providentiæ de conservandis scientiis inventis eos præscribere aut diffidere: quod longissimè à sancta illa scholâ abfuit. 7. Carion in Chron. pag. 17. scribit, inquit, *Josephus, Adam duas lapideas tabulas collocasse, in quibus scripsit initia creationis, lapsum hominis & promissionem: has tabulas existimo tanquam templum fuisse & certi loci signum, in quem solitus est convocare suam Ecclesiam, &c.* Hæc Carion. Historia Hebræa Salmanticensis lib. 2. cap. 11. attribuit hanc tabularum seu columnarum structuram τὸ Kainan Drusius in Notis ad Severum Sulpitium pag. 21. Joann. Ann. Vitenbiensis in Comm. super Berosum tribuit columnarum structuram Enocho. Vide Sixtum Senens. lib. 2. Bibl. sanct. lit. Henoch. Pineda in Job. T. 2. pag. 93. ait, æneam unam fuisse columnam. At Josephus non scribit Adamum, sed Sethi posteros motos vaticiniò Adami columnas lapideas collocasse, nec res Ecclesiæ, sed scientias inventas, in eas sculpisse refert: si verò omninò ejusmodi columnas statuisset eos statuendum est, probabilius & patriarchis dignius est, res Ecclesiæ ijs posteritati commissas fuisse, quam quod de traditis scientiis ab ipsis inventis affertur. 8. Non legimus verò Genes. 8, 20. Noachum diluviò finitò ad illas columnas sacrificasse; sed novum altare extruxisse, in quo offerret holocausta. 9. Probabile est, superatò diluviò Noachum tum gratias pro tutela clementi Deo egisse, tum petiisse, ne diluviò Deus orbem amplius premat, cujus atrocitas intimos ejus sensus concusserat. Patet hoc ex divino responso, & imprimis ex Noachi holocausto. At si de duplici destructione per aquam & ignem futurâ constitisset Noacho, superatâ jam aquarum vi, non aquarum deinceps impetum; sed ignis flammam deprecatus fuisset, quas adhuc grassaturas timeret. Nunc, cum non ignis violentiam, contra quam lateritia scientias tueatur, deprecetur, Deus etiam non libertatem ab igne timescendo; sed ab aquis polliceatur, lucet clarissimè, nec de duplici exterminatione, nec de duplici columna Noachò constituisse. 10. Si ex majorum traditione de tam illustri columnarum pari aliquid scivisset Noah, utique pari observantia, quâ majores, excoluisset superstitem diluviò lapideam, & reparasset collapsam lateritiam, quam in futurum grassaturo igni pro inventis scientiis

entiis